

LECTORI BENEVOLO  
S. P. D.  
EUNDEMQUE  
AD  
**ANATOMEN**  
CADAVERIS MASCULINI  
OFFICIOSE INVITAT  
CAROL. AUGUSTUS à BERGEN,  
Med. Doct. & Prof. P. Ord. ejusdemque  
Facult. h. t. Decanus.

---

*FRANCOFURTI ad VIADRUM,*  
Typis PHILIPPI SCHWARTZII, Acad. Reg. Typ.

LECTORI BENEVOLO

FUNDATIONE

AD

ANATOMEN

CADAVERIS MASCULINI

OFFICIOSE INVITAT

CAROL. AUGUSTUS à BERGEN

Med. Doct. & Prof. P. Ord. quondamque

Facult. h. e. Decanus

IMPRIMERIIS à WAPDRUM,

Typis THILIPPI SCHWARTZII, Acad. Reg. Typ.





**Q**ui magnam inter utrumque naturæ regnum, animale juxta & vegetabile, convenientiam quærunt, me judice, quod quærunt, ubique satis inveniunt. Etenim quum DEUS in creatione & conservazione totius universi omnia numero, pondere & mensura effecerit, naturam certis & immotis quibusdam quasi legibus, citra violationem liberrimæ & potentissimæ suæ voluntatis, ad strinxisse videtur, quarum aliæ, modo particulares, in uno alterove duntaxat, aliæ universales, in omnibus naturæ regnis principatum obtinent. Harum vestigiis, si quis sedulus naturæ operum scrutator insistit, vastissimo se naturæ pelago committens, pyxidem nauticam habet, ad cujus normam contemplationes suas dirigere, rerumque observatarum harmoniam, consensum & dissensum,

infinitaque alia, quibus summa Creatoris sapientia in dies elucescit, in apicum ponere potest.

Animal enim æque ac planta in eo conveniunt, quod utrumque sit corpus organicum ex fluidis & solidis compositum, quod alimenta assumpta in vasis determinatis movet, eaque pro sui formatione, perfectione successiva, suique similis procreatione circumagit; ut taceam, in utroque liquores specialiores in varios usus impendendos continuo secerni. Animal ore ingesta dimittit in ventriculum, qui ceu universalis coquus digerit & præparat, præparata intestinorum motu peristaltico, aliisque causis in unum finem conspirantibus, ulterius perficit, miscet, separat, ita ut subtilior & nutrititia portio, venis lacteis excepta, ad sanguinem deferatur, crassior vero sub nomine fœcum excrementis cedat. Vegetabile & radice & omni sui ambitus superficie succos haurit, sub suo parenchymate præparat, præparatos ulterius amandat, superfluos vel minus convenientes per transpirationem ejicit. Animalia & vegetabilia procreationem sui similis intendunt natura. Illorum effectus ex fœtu, horum ex semine patent. In mare enim testes & organa generationis masculinum σπέρμα fecernunt, quod utero feminae immissum ovum fœcundat, unde fœtum expectamus certò  
 s A futu-

futurum. In planta adest flos, cujus organa materiam instar pollinis subtilissimam præparant, qua postea flos impregnatus fructum producit, futuræ plantæ semen continentem. Quis ergo ex his non videt, in utrisque per mutationem quorundam organorum novum prorsus oriri productum, corpori producenti in omnibus simillimum: Immo vero, quis est inquam, qui non mecum agnoscit, arctissimum, qui utrique regno intercedit, nexum occasionem sæpius præbuisse, ut per plurimi Medicorum, diversa sat studia Anatomen cum Botanica sororio nexu sociaverint & derelictis scalpellis, vice mutata ad rizotomum confugerint. Quæ cum ita sint, nemini mirum videbitur, si & ego hac vice in indicenda Anatome loco thematis anatomici, camporum ætate virescentium potius memor de *Alchymilla gramineo folio, flore majore* quicquam præfari constituerim. Occasionem præbuit mira baccarum circa radices hujus plantulæ reperiendarum natura, quæ nihil aliud sunt quam ovula ex quibus aliquot dierum spatio insectum excluditur, ejus *μεταμορφωσις* decursum jam pluribus describam. *Tournefortius* hanc herbulam ad species *Achymillæ* refert eamque vocat *Alchymillam supinam gramineo folio, flore majore*

*Joh. Rajus*. in methodo plantarum emendata & au-  
 cta. Lond. 1733. recte, ut mihi videtur, emendat  
*Tournefortium*, quod hanc plantam ad *Alchymillam*  
 referat, cum qua parum habet similitudinis. In  
 eo tamen ambo conveniunt, quod ipsam sub classe  
 plantarum flore stamineo, seu apetalo recenseant,  
 quanquam, si microscopio floris hujus structura  
 examinatur, præter calicem & stamina, quibus flo-  
 rem stamineum compositum esse dicunt, floris petala  
 quoque appareant. Fratres *Joh. & Casparus Bauhini*  
 hanc plantam ad species polygoni referunt, quod  
 idem facit *Tabernemontanus*, qui hanc speciem vocat  
 polygonum polycarpum. Germanice *Johanns-*  
*Bluth*. Aliis vocatur *Cochenilla Polonica*, seu *Coc-*  
*ciferum Polonicum*. *J. B. Ruppium* in *Flora Jenensi*,  
 eundem agnoscens errorem, plantulam hanc nec ad  
 species *Alchymillæ* nec *Polygoni* refert, sed sua me-  
 thodo inter plantas flore regulari pentapetalò, semi-  
 ne nudo, ponit. *Celeb. Carolus Linnæus* in generibus  
 plantarum *Lugd. Batav.* 1736. novum, idque sexuale  
 plantarum sylthema condidit, hancque plantam  
*scleranthum* vocat & ad *Decandria-Digynamia* (a)  
 refert. Ad quam vero florum classem rectius perti-  
 neat

(a) Has plantas sic vocat laudatus Autor, in quarum unoquo-  
 que flore stamina decem cum stilibus duobus sunt, seu ut ille  
 loqui amat, ubi decem mariti in eodem conjugio cum bi-  
 nis feminis nuptias celebrant,

neat, patebit ex exposita prius floris hujus structura. Florens itaque planta microscopiis inspecta exhibet communem calicem gramineum monophyllum, cui bini, quandoque terni insident flores. Hi iterum constant ex perianthio gramineo, proprio, quinquifido, cujus petala ultra dimidium longitudinis incisa non sunt. Calicis collum arctatum inferius includit semen unicum ovatum, quod constat capsula tenuissima, vix conspicua, corticem lignosum & medullam albicantem involvente. Quot ergo flores in uno calice communi gramineo, tot etiam semina reperiuntur. Petalis calicis proprii arctissime interne connata sunt alia quinque; petala alba, florem hujus vegetabilis stricte constituentia, & majora petalis gramineis calicis proprii, quæ quasi originem habere videntur ex prioribus, quibus arcte adhærent. Hæc petala vices corollæ hoc in flore deficientis sustinent. Firmæ huic petalorum, calicis, & floris cohæssioni forte tribuendum est, quod plurimi Botanicorum florem hunc dixerint stamineum, quum tamen, re penitus inspecta, veris suis petalis non destituatur. Loco staminum decem adfunt filamenta, subulata, erecta, minima, calici inserta, in quorum medio pistillum desideratur, cujus loco alii stylos duos capillares invenerunt, quos ego hucusque, oculo utcumque armato in-

structus

fructus hactenus non detexi. In summitate flaminum dantur anthera, quæ sunt biloculares capsulæ formam testium habentes, flavi in flore recenti coloris, crocei autem, ubi maturæ exsiccantur & decidunt. Flos ipse ob crassitiem petalorum gramineorum rarissime adeo explicatur, ut interna ejus facies commode conspici queat; nisi, quod facile crediderim, meridiani solis calore hoc contingat, quo remittente iterum contrahuntur. Cæteroque flos hæret in summis ramis & divaricationibus ramorum. Caules plantulæ ut plurimum sunt vel rubicundi coloris, vel incani, ex quo alii, sed perperam me judice, duas species faciunt, namque in candidis cauliculis totius plantæ aridior magis facies est, globulis istis sanguineis ut plurimum hic deficientibus, unde probabile est, decisis hisce baccis, deficere postmodum succum purpureum in cauliculis. Equidem novi ab Autoribus duas species hujus Alchymillæ recenseri, sed quæ floris magnitudine sese distinguunt, nostrum enim *Knauel* foliis, & floribus albicantibus gaudet, & in arenosis & montanis agris provenit, cum altera species flores & folia viridiora sortiatur, ut bene distinguit J. B. *Ruppius* in *Flora Jenensi*. Folia plantæ sunt graminea & verticillatimveniunt, caules & ramos cingentia

antheris

tia

tia. Bacca ista, seu potius ovula, de quibus jam pluribus referam, ut plurimum radicibus adhærent & ex purpureo nigricantis coloris sunt, præcise vero in eo loco proveniunt, ubi radices sub emissione caulium coeunt, quandoq; etiam ipsis caulibus connascuntur, sed istis saltem, quæ sub terra ex radicibus prorumpunt; rarissime enim has baccas in libero aëre caulibus adnatas reperi. Tertia circiter pars superficiei istiusmodi globulorum insidet calici, seu excipulo peculiaris substantiæ, interne nigri coloris, sed simul argentei splendoris, arcte admodum plantæ radiculis accreto. Reliquum horum globulorum sub terra circumdatur arenulis & nativo solo. Hisce a calice remotis, nullus apparet pedunculus, sed integra superficies unita apparet. Figura non est perfecte spherica, sed paululum ovata. Magnitudo variat, maximi piperis, minimi granorum sesami magnitudinem habent. Succus rubicundus, qui intus latet, mucilaginosus est, nullius odoris, saporis parum dulcis. Morâ hic succus in baccis, a planta separatis, in pulpam, coccinei & amœni coloris, sed male olentem degenerat, saporis utcunque dulcis, sed simul acris & linguam mordentis. Cæteroque non semper, sed sub initio junii inveniuntur, & post aliquot septimanas iterum disparent.

B

Quam

Quum itaque semel in colligendis hisce globulis occupatus essem, hosque in vasculo aliquo per quatuordecim dies asservassem, his elapsis, vidi & obstupui, plurimos horum in totidem vermes esse mutatos, relictis quoque tot sphaerulis, membranaceas & pelluentes exuvias representantibus. Vermes hi brunnei seu castanini fere coloris sunt, diversae magnitudinis, ut ipsa ovula, figurae ferme ovalis. Corpus per articulos movent, & sub ventre quatuor pedes minores habent, versus anteriora duos alios longiores in nigra quasi cornua definentes, quibus reptatu suo solum quasiprehendunt, & totum corpus trahunt. Duo adhuc cornua quasi in fronte posita conspiciuntur, ejusdem cum pedibus substantiae succulentae. Truncus insecti in annulos divisus & pilis obsitus est, & commotus, vel digitis prehensus in globum, ad instar erinacei se contrahit. Sepositis his vermiculis, aliis negotiis distrahebar, quo minus per aliquot septimanas huic observationi repetitam operam impendere potuerim. Postea vasculum inspiciens, plures horum vermiculorum mortuos inveni & integre corrugatos, tota corporis superficie lanugine candidissima tectos. An ceteroquin Vermiculus hic aliquam similitudinem habeat cum illo, quem Cochenillam vocant Hispani,

&



& qui, ut ex aliis plantis sic præprimis ex *Opuntia Americana* majori spinosa sanguinea seu *Funa* dicta, colligitur, sicatur & in faccis coreaceis in Europam, magno mercatorum lucro adfertur, de hoc quidem initio dubitavi, imprimis quum contradicentem invenerim *Pomet* in *Historia generali simplicium*, qui *Plumierium* erroris coarguit, quod *Cochenillam* pro vermiculo habuerit, cum potius semen aliquod, vel granum dicendum sit. Nihilominus, cum in universum autores, qui de *cochenilla* quicquam scripsere, in varias hanc super rem iverint sententias, indagandæ veritatis causa hos meos vermiculos cum *Cochenillæ* granis sub microscopio comparavi & vidi, *Cochenillam* nostris ex *Officinis* desumptam, prorsus esse vermiculum talem exsiccatum, ejusdem magnitudinis & figuræ, iisdemque sulcis annularibus, polline candidissimo refertis, constantem. Rei novitate permotus plura institui experimenta idem confirmantia. Sic granum *Cochenillæ* maceravi in tepida, & postea explicato animalculo majorem adhuc similitudinem detexi. Contrivi porro *Cochenillam* in pollinem intra duo marmora, ex quo madefacto elegantissimum coccineo violaceum produxi colorem. Idem tentans cum *Alchymillæ* animalculis, deprehendi hæc in hunc finem nondum satis exsiccata, interim madefacta colorem coccineum, sed non coccineo-violaceum dabant, forte ob defectum sufficientis præparationis & exsiccationis, & quia enato mucore quicquam eleganti huic colori detractum erat. Adco ut his persuasus experimentis fere crediderim *Cochenillam* esse sui generis insectum, quod vel maxime succo dictæ *Opuntia Americana* delectetur, ab *Alchymillæ* insecto saltem ratione originis discrepans. Quod si porro consuetudinem, qua virgines & mulieres in *Polonia* succo horum ovulorum cosmeticum præparant, quo nativæ pulchritudini succurrere, dicam

dicam ne quicquam detrahere student, attentius confidero, non possum non, quin huic meae hypothese ulterius subscribam. Ut taceam inter neotericos materiae medicae scriptore plures ejusdem prorsus sententiae dari, sic *Lemeri* in suo *Lexico simplicium* statuit *Cochenillam* esse sui generis insectum, quod non ex granis filiquarum *Opuntiae* provenit, sed saltem succo hujus plantae nutriatur. Multo minorem convenientiam, non obstante denominationis similitudine, habebunt haec ovula cum granis *Pimpinellae* seu *Tragofelini* majoris vel sanguiforbæ, quam *Galli* dicunt *Cochenille de grainne*, quæ, quamvis eodem prorsus modo radicibus hujus plantae adhæreant, nunquam tamen in animalcula mutantur.

A Pluribus hac vice, ne limites Programmatis transilire videar, abstineo, Demonstrationum Anatomicarum DEO auxiliante hodie hora pomeridiana V. facturus initium, quibus ut Nobilissimi Domini Studiosi, Doctique omnes, qui his studiis favent sua frequentia & honorifica praesentia intersint, ea qua par est, humanitate & observantia rogo atque contendo. Scrib. Francof. ad Viadrum d. 31. Jan. 1739.

Tesserae anatomicae in Theatro Anatomico & ædibus meis distribuentur.



01 A 6507

f

ULB Halle 3  
002 937 859




TA-706

nur 10. Stück bishov verknüpft

1017







LECTORI BENEVOLO  
S. P. D.  
EUNDEMQUE  
AD  
**ANATOMEN**  
CADAVERIS MASCULINI  
OFFICIOSE INVITAT  
CAROL. AUGUSTUS à BERGEN,  
Med. Doct. & Prof. P. Ord. ejusdemque  
Facult. h. t. Decanus.

---

FRANCOFURTI ad VIADRUM,  
Typis PHILIPPI SCHWARTZII, Acad. Reg. Typ.